O D E

JLLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
D O M I N O
JOANNI BAPTISTÆ

ALBERTRANDI

Ecclesiarum Metropolitanæ Gnesnensis Canonico, Insignis Collegiatæ Varsaviensis Præposito, VICARIO et OFFICIALI Generali per Archidiaconatum Varsaviensem Diæcesis Posnaniensis, Ordinis S. Stanislai Equiti.

Dum solemni Ecclesiæ ritu in EPISCOPUM ŻENOPOLITANUM consecraretur Anno Domini 1796.

A Scholis Piis Varsaviensibus strenuo et constanti FAUTORI suo ac VINDICI, in grati animi monumentum

O B L A T A

Musis amicus.
Horatius.

Quem dedicatis ornat Honoribus
Excelsa Virtus, Pallade nobilem;
Hic ille virtuti rependit,
Officiis benefacta gestis.

XVIII. 2. 450.

http://rcin.org.pl

Ornare tales, ambit Honor Viros;
Qui scita, quæ dant, moribus edocent.
Tales Honorem ferre, magna,
Maxima sed meruiſſe, laus est.

Divine PRÆSES! Tu sub imagine,
Jſt hac notaris. Difflue gaudio,
Dum Neſtor aſſumis bicornem,
Promeritum meritis Honorem.

Quam sempiternus Progeniem Sator,
Gignit, Sodalem Te, dedit hæc sui
Collegii fulcrum; dat hercle,
Numen item auxiliare Clero.

Cur Infulatus LITTA Comes Tibi
Et Roma, cujus NUNTIUS est, favent?
Virtutis en partus, laboris
Ingeniique Tui coronant.

Auctus Thronorum muneribus trium,
Non insolenter tale bonum geris;
Cum sis Te egenti præſto, factus
Omnibus omnia, Paulus alter.

http://rcin.org.pl

Posnaniensis grande decus Pedi,
Ac Administer Palladii sacri,
Cum laude Jus dicis verendum,
Nec prece, nec pretio movendus.

Escâ Salutis Christiadum gregem,
Pascis fidelis Doctor Apostolus,
Præcepta tradens suggerensque
Ambrosio meliora succo.

Quid? quod sagaci præsidio facis,
Jnsanientis ne sapientiæ,
Classes sequantur dogma, verùm
Dent studiis operam sacratis.

Quinimo Linguas, atque Scientias,
Quod fers capaci mente Solon recens,
Quæ rite sunt tractanda; rite
Jpse doces; quia doctus Jpse.

Hinc una de Te, publica vox sonat:
Error nefandus, noxa fóret gravis;
Ni portet ALBERTRANDIANA
Cæsaries veneranda Mitram.

http://rcin.org.pl

XVIII.2.450

Hæc, ut vetusti temporis optimus
Vindex, retexis Factaqne Juraque,
Novos per Annales Magistra
Sic recinet Tua gesta, Fama.

Antistes ergo, Mercurialium
Lumen Virorum, Phidiacus labor
Sublime non Te. Pegma ducat;
Sunt Tua Scripta, Tui Colossi.

Sunt gesta, cultæ Pyramides, Tua,
Quæ grata semper Posteritas colet;
Longævus at Tu vive, parte
Jam meliore Tui superstes.



XVIII.2.450

3222

http://rcin.org.pl